De tubarum fallopianarum morbis. Dissertatio inauguralis medica / Antonius Willems.

Contributors

Willems Antonius, 1815-
Royal College of Physicians of Edinburgh

Publication/Creation

Bonnae : Typis Caroli Georgii, 1840.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/updebfgn

Provider

Royal College of Physicians Edinburgh

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by the Royal College of Physicians of Edinburgh. The original may be consulted at the Royal College of Physicians of Edinburgh. where the originals may be consulted.
This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

DE
TUBARUM FALLOPIANARUM MORBIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICA

QUAM

EX AUCTORITATE ET CONSENSU GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS

IN ALMA LITERARUM UNIVERSITATE REGIA
FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

AD GRADUM

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

RITE ASSEQUENDUM

SCRIPSIT ATQUE

DIE VII. MENSIS IANUARII A. MDCCCXL

PUBLICE DEFENDET

ANTONIUS WILLEMS,
RHENANUS.

OPPONENTIBUS AMICIS:

CAROL. DEITERS, med. et chir. Cand.
PET. KESSEL, med. et chir. Dr.
CHRIST. MUELLER, med. et chir. Dr.

BONNAE,
TYPIS CAROLI GEORGII.
MDCCCXL.

R35647

VIRIS ILLUSTRISSIMIS

FRIDERICO NASSE

MEDICIN. CHIRURG. PHILOSOPH. DOCTORI,
REI MEDICAE CONSILIARIO INTIMO, PROFESSORI PUBL. ORD.,
DIRECTORI CLINICI MEDICI BONNENSIS, SOCIET. LITTER.
COMPLUR. SODALI, EQUITI ETC. ETC.

ATQUE

HERM. FRID. KILIAN

MEDICIN. ET CHIRURG. DOCTORI, PROFESSORI PUBL. ORD.,
DIRECTORI XENODOCHII OBSTETRICII BONNENSIS, PLUR.
SOCIETAT. LITT. SODALI ETC. ETC.

PRAECEPTORIBUS DILECTISSIMIS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

SCRIPTOR.

Prooemium.

In libris, quibus doctrina morborum traditur, de tubis follopianis aut nihil prorsus, si excipere velis graviditatem tubariam, commemorant, aut modo participare eas cum morbis organorum vicinorum, uteri, ovariorum, peritonaei. Quod quam verum sit, quum observationes morborum huius organi dispersas colligere suscepissem, satis expertus sum; nihilo tamen minus negari nequit, haud raro tubas solas corripi morbis, iisque gravibus, neque minus

atque ovariorum, qui a medicis indagentur, dignis. Libenter equidem ad diagnosin eorum stabiliendam parum me profecisse confiteor; sufficiet mihi, si, ut in posterum maior iis cognoscendis opera navetur, dissertatiuncula mea effecerim.

DE MORBIS TUBAE FALLOPII.

Inflammatio.

Omnium morborum, quibus tubae fallopianae afficiuntur, inflammatio ea est, quae rarissime occurat non coniuncta cum affectione organorum vicinorum; rarissime etiam hisce imflammatis tubae incolumes evadunt. Ita in feminis quinquaginta sex, aestate anni 1807 in nosocomio communi Viennensi febri puerperali demortuis, simul cum utero semper tubae magis minusve inflammatae inventae sunt; [1]) et *Rob. Lee* in permultis, quas instituit, sectionibus, ubi peritonaeum uterum circumdans inflammatum fuerit, semel modo tubas haud correptas se vidisse contendit [2]).

Diagnosis sane difficillima, quum morbis illis, quibuscum complicata esse solet, gravioribus signa ad tubam spectantia obscura reddantur. Si ad orrhymenitidem uterinam tubarum inflammatio accedit, secundum *Boivin* et *Dugès* dolor vehe-

1) Medizinische Annalen des österreich. Staats. 1822.

2) Researches on the Pathology and treatment of some of the most important Diseases of Women by R. Lee. London 1833.

mentior versus regiones iliacas et inguinales in suspicionem huius complicationis inducere potest, quae tumoris solum absentia ab oophoritide distinguatur. [3]) Ubi vero inflammatio magis in tuba solummodo sedem habet, signa inde provocata plerumque leviora esse videntur, quam ut ab aegrotis animadvertantur; quum saepissime in cadaveribus duntaxat tubarum affectiones reperiantur, de quarum origine ex inflammatione praegressa dubium esse non possit, adhaesiones nempe et obliterationes al., quamvis illius nulla in vita signa innotuerint.

In inflammatione tunicae internae seu phlegmhymenitide tubarum, si placet, *Clarque* [4]) saepius cum mensibus tum admodum dolorificis frustulas lymphae coagulabilis forma interdum irregulari, interdum vero plane aequantes cavitatem tubarum per vaginam excerni observavit. *Pet. Frank* [5]) in leucorrhoea praeter vaginam et uterum non raro et tubas istius humorem largiri, sectione pathologica id ipsum docente, putat, quum hinc eum ore uteri aperto per loca declivia ferri ac per vaginam stillari nil impediat; et dolorem in regionibus inguinalibus atque sterilitatem tam saepe in feminis hoc profluvio affectis observandam inde venire arbitratur.

---

3) Traité pratique des maladies de l'uterus et de ses annexes par Mme. veuve Boivin et par A. Dugès. tom. II. Paris 1833. S. 589.

4) Ch. M. Clarque Beobachtungen über die Krankheiten des Weibes, welche von Ausflüssen begleitet sind; übers. v. Dr. Heineken. Hannover 1823. Tom. II. S. 114.

5) Pet. Frank de curand. hom. morb. lib. V. No. 177.

Suppuratio.

Hic exitus inflammationis saepe quidem observatur, sed aeque atque ipsa plerumque modo affectiones easque graviores organorum vicinorum comitatur; raro tuba sedem praecipuam et primariam morbi constituit. Exempla huiusmodi notatu digna exhibeo haecce:

Femina alvum obstructam, vomitus, dolorem primum in abdominis latere dextro dein sinistro et crure dextro passa erat. Tumor pedetentim in regione lumbali sinistra exoriebatur, quem febris, virium exhaustio, diarrhoea purulenta et mors secuta est.

Cadavero secto peritonitidis ac enteritidis vestigia reperiebantur, sed tubarum et ovariorum conditio praesertim attentionem captabant. Tuba sinistra pure valde dilatata, sed partim adhuc flexuosa et bene recognoscenda, communicabat cum intestino recto apertura calami ad summum magnitudinis; ovarium quoque huius lateris nucis avellanae magnitudinis pus continebat, neque vero cum tuba cohaerebat. Dextri lateris tuba et ovarium etiam materie purulenta extensa erant. Uterus sanus. [6])

Femina, triginta annorum, innupta, bonae famae, febri quartana laboraverat, quam petitis undique remediis tandem debellaverat. At febre libera mensibus caruit, tumoremque mox in sinistro hypochondrio animadvertit. Quo sensim crescente tandem pectore tanta subito copia puris erupit, ut suffocaretur. Sectione tota trachea pure repleta inventa est, tumorem vero abdominis tuba fallopiana sinistra formatum

---

1) Andral Anatomie pathol. tom. II. p. 700.

esse evidenter constitit, ovario naturalem haud multum excedente magnitudinem. Continebat tuba liquoris purulenti viginti tres libras, substantia eius hic duas tres illic lineas crassa erat, intus pure erosa ac lacera, extrinsecus vero vasis quam plurimis referta; tubae ipsius degeneratae pondus septem librarum fuit. [2])

Virgo, 24 annorum, ab octo retro annis quodvis auxiliorum genus ad menses provocandos frustra experta, totum hypogastrium tumidum durumque habebat, quam duritiem durissima sed aequabilis Zona ad umbilicum per universam abdominis amplitudinem terminabat. Octo annis miseriarum elapsis quum demum atresia eam laborare deprehenderetur, operatione haud vero sufficiente instituta, triduo post obiit. Inventa haecce: Uteri stupenda moles monstrosaeque utrinque tubae tumorem una formabant, qui totum hypogastrium explens superiore sua parte zonam illam constituebat. Tuba utraque immensa sanie fusco-nigra distenta, licet hinc inde per foramincula multum eiusdem in cavum ventrem profudisset. Uterus ingenti amplissimoque suo cavo eandem nigram saniem continebat. Ovaria vix solitam figuram excedebant. [3])

Hydrops.

Hydrops illa est tubarum conditio, qua cavitas earum liquore vel in unum solummodo saccum conversa vel hydatidibus interna pariete adhaerentibus distenta est. Liquor vero diversae indolis invenitur, nunc tenuis, aquosus aut vere serosus et limpidus, nunc viscidus, gelatinosus et magis fusco

---

2) De Haen ratio medendi tom. VI. p 37.

3) de Haen l. c. 43.

vel nigro colore. Minore gradu haecce tubarum affectio saepe cum aliis varii generis degenerationibus vel tubae ipsius vel uteri coniuncta invenitur; nonnunquam vero sine ullo alio morbo occurrit, hisque casibus summum vestigium ascendere solet.

Casum memoratu dignissimum hydropis utriusque tubae nobiscum communicat *Morgagni;* [1]) centum enim libras et plus fluidi continebant. *Tulpius* [2]) unamquamque tubum novem fere libris aquae vesiculis aquosis mixtae impletam invenit. *Bonetius* [3]) in dextra cuiusdum feminae tuba duodecim aquae libras reperit. Alia exempla memoriae tradiderunt *v. Haller* [4]), *Pet. Frank* [5]), *de Haen.* [6])

Plerumque inflammationis signa magis minusve perspicua praegrediuntur. Caeterum ex hydrope initio vel nullae omnino morbosae affectiones provocantur, vel tam leves, ut eae tantum aegrotarum, quae admodum intentae in se sint, de tensionis sensu et dolore obtuso in altero vel utroque pelvis latere, prout una vel utraque tuba peccet, conquerantur. Longiore vero vel breviore tempore praeterlapso tumor, qui iam prius exploratione interna iuxta uterum sentiri potuit, supra ramum horizontalem ossis pubis apparet, modice durus, tensus, circumscriptus, fluctuationis haud manifesta praebens signa. Eo sensim sensimque crescente mox graviora symptomata ex pressu eius in organa vicina pelvis, abdominis,

---

1) Joh. Bapt. Morgagni de sedibus et causis morb. Epist. XXXVIII §. 66.

2) Tulpius observat. libr. IV. obs. 45.

3) Boneti in sepulcr. anatom. lib. III. sect. 21. obs. 39.

4) Halleri disput. pathol. tom. IV. pag. 249.

5) l. c. tom. VIII.

6) l. c. tom. IV. cap. III.

immo pectoris oriunda haud desunt: molestiae in urina mittenda et alvo deponendo, menses vel irregulares vel plane deficientes, dolor vehemens in variis abdominis locis, vomitus aliaeque digestionis perturbationes, interdum etiam hydrops ascites sive ex rupta tuba, sive inflammatione peritonaei aut impedita sanguinis circulatione excitatus, oedema pedum, molestiae in spiritu ducendo, febris hectica, donec saepe post plures demum annos vitae luctuosissime transactae mors finem facit. Ita in casu, quem *Tulpius* enarrat, mors decimo, in illo, quem *de Haen* observavit, quinto post morbum exortum anno consecuta est. *Pet. Frank* communicat casum notatu dignissimum, quippe qui ab caeteris huius morbi notis observationibus discrepet:

Femina, quae ex violento in hypogastricam regionem lapsu, intumescentiam hac in parte cum dolore tensivo patiebatur, quam aquae limpidae largum profluvium, cum sanguine menstruo primum prodiens, excepit; cessante sanguinis stillicidio, per annum dimidium ex tuba hydropica, quotidie, ad minimum, libram huius liquoris, ad tabem et mortem ipsam excrevit. In sinistra deinde tuba librae insuper triginta et una aquosi et gelatinosi humoris inventae sunt. [7]

Diagnosis huius morbi ab hydrope ovariorum nescio qui hucusque fieri possit; etenim profluvium illud fluidi per vaginam, quod *Frankius* observavit, etiamsi appareret, minime tamen tubam affectam esse convinceret, quum hoc etiam pluries iam in hydrope ovariorum observatum sit, liquoribus per tubam ad partem fimbriatam cum ovario coalitam in uterum, inde foras effusis. [8] Quod dicunt ovarium hydropicum forma

---

7) L. c. lib. IV. p. 310.

8) Cf. E. Blasius Commentatio de hydrope ovariorum profluente. Halae 1834.

esse orbiculari, tubam vero haemisphaerica, hoc in primordio morbi fortasse aliquid ad diagnosin conferre possit; sed hoc tempore medicus plerumque nondum arcessitur.

Ab aliis morbis, quibuscum confundi possit, a graviditate scilicet uterina et extrauterina, hydrope ascitide, hydrope uteri aliisque iisdem etiam argumentis atque hydrops ovariorum distinguitur.

Obliteratio et adhaesio.

Obliterationes tubarum earumque adhaesiones cum partibus prope iacentibus, praesertim cum ovario, in sectionibus cadaverum frequentissime et plerumque una deteguntur, saepius quidem in sinistro quam dextro latere. [1]) Obliteratio aut est totalis, aut, ut plerumque accidit, in uno modo vel utroque ostio vel partibus intermediis locum habet, dum reliqua canalis pars parvam fluidi copiam continet.

Fr. Ruysch [2]) levi inflammationi post partum difficilem has tubarum affectiones merito adscribit; in meretricibus vero et lascivis mulieribus, in quibus, etsi nondum pepererint, raro desiderantur [3]), inflammatio illa levis, quae praegressa sit necesse est, potius sanguinis affluxu ob concubitus repetitos perdurante continuatoque stimulo venereo excitari videtur. In his etiam tubae in eo praecipue situ, quem in coitu habere solent, ovaria nempe fimbriis amplectantes, concretae inveniuntur.

---

1) Cf Alb. ab Haller Prael in med. for. p. 273. — Carl Wenzel über die Krankheiten des Uterus. Mainz 1815. S. 35.

2) Fr. Ruysch. Cent. obs. chirurg. obs. 83. p. 208.

3) Morgagni l. c. Epist. XXXI. Ep. XXXVIII. et multis aliis locis. Walter de morbis peritonaei. Berolin. 1805. p. 13.

Hae tubarum conditiones frequenter causam graviditatis extrauterinae, et si in utroque latere adsunt, sterilitatis sustinent; easque deficientibus aliis partium genitalium vitiis eo magis in causa esse suspicari licet, si inflammationem aut vitam libidinosam praegressam esse constat.

Tubercula.

Materiem tuberculosam nonnunquam se vidisse contendunt *Boivin* et *Dugès* sive in ipsa tubae substantia sive in cavitate eius naturali, simul cum tuberculis in aliis corporis partibus, veluti praeter pulmones in ovariis et peritonaeo. [1] Huncce referunt casum de virgine sedecim annorum, mensibus nondum functa, phthisi pulmonali demortua: Uterus et ovaria materiem pultaceam continebant; tuba sinistra vix duos pollices longa, caeterum normalis; tuba dextra per longitudinem tres offerebat tumores, effectos tribus tuberculis crassis, quorum quodque circumdatum erat cystide solido; tuba ipsa rubra, longior et substantia crassiore, quam qua in statu normali esse solet; ostium abdominale aeque ac fimbriae mutata in massam tuberculosam solidam. [2]

Equidem etiam casum eiusmodi nuper observavi: In sectione enim feminae cuiusdam, viginti sex annos natae, phthisi tuberculosa pulmonali defunctae, praeter mutationes pulmonum, quae hoc morbo adesse solent, et iure hic praetermitti possunt, ad conditionem partium genitalium internarum spectantia haecce inveni: Tuba utraque, quatuor

---

1) L. c. tom. II. No. 588.

2) Atlas représentant les principales alterations morbides des organes genitaux de la femme par Mme. Boivin et Dugès. pl. XVI.

pollices et dimidium longa, flexuosa, quo remotior ab utero eo magis extensa, ita ut ambitus eius in extremitate uterina vix normam excederet, in abdominali vero duos ad minimum pollices aequaret; ostium abdominale clausum, fimbriis inter se coalitis; parietes iusto paululum crassiores; canalis continebat massam caseosam, e flavo-fuscam, tuberculis pulmonum simillimam; uterus paulo maior, quam par est, in cavitate sua nonnihil materiei eiusdem indolis, qua tubae erant distentae, continebat, verisimiliter ex iis per ostia uterina aperta huc delapsae; ovaria haud a norma discrepabant. Femina, de qua sermo est, bis pepererat, mensibus, qui antea semper secundum regulam apparuerant, ex quo prima morbi pulmonum signa sese manifestaverant octo fere ante obitum menses, caruit.

Scirrhus.

Quod ad scirrhum tubarum attinet, non habeo quod addam ad sententiam *Boivin* et *Dugès*: „Le cancer n'envahit peût-être jamais primitivement les trompes et ne s'y établit, pour les deformer et les détruire, qu'après avoir exercé ses ravages sur l'utérus en particulier.“ [1]) Eiusmodi exempla nonnulla illi sese observasse affirmant; caeterum apud alios nulla inveni.

Hernia.

Voigt herniam inguinalem observavit, quam mulier quaedam tollendo magnum onus contraxerat. Quum negligeretur,

1) L. c. tom. II. p. 584.

in gangraenam transiit et foras se aperuit. Iam vero bene perspici potuit, tubam fallopianam dextram solam fuisse, quae herniam constituisset; illa ad longitudinem quatuor pollicum spacelo expulsa aegrota sanitatem suam mox recuperavit. [1]) Etiam *Bessier* [2]) ligamentum uteri latum et extremitatem abdominalem tubae cum parte tractus intestinalis in hernia inguinali invenit.

Vitia conformationis.

Tubae in uno modo vel in utroque latere plane deficientes et iusto breviores vel longiores observatae sunt, quae quidem earum conditio morbo aliquo producta esse non videbatur. Deficientibus tubis vel omnes partes genitales internae vel uterus saltem aut ovaria simul desiderabantur, sed non vice versa. [1]) *Morgagni* [2]) in femina adulta vix tres, *Chamoux* [3]) contra sex, *Pfeffingerus* [4]) vel decem pollices longas eas se invenisse refert.

Graviditas tubaria.

Graviditas tubaria illa dicitur, qua ovulum foecundatum in canali tubae fallopianae retinetur et evolvitur; quod si in

---

1) Hufeland's Journal Bd. 8. St. 3. S. 176.

2) v. Lavater de *ἐντεροπεριστόλη* Basil. 1672. rec. in Halleri coll. diss. tom. III. cp. 57. p. 41.

1) Meckel, Joh. Fried. Hnbdch d. pathol. Anatomie Bd. II. S. 219.

2) l. c. Epist. LXIX. p. 16.

3) Journal de médécine et chirurgie etc. par Mr. à Roux. tom. XXXIX.

4) F. A. Fritze diss. sist. obs. de conc. tub. Argent. 1779.

ea tubae parte, qua uteri substantiam penetrat, locum habet, hanc *Carus* [1]) probe graviditatem tubo-uterinam, alii interstitialem appellant. *Bianchi* [2]) etiam graviditatem tubariam externam distinguit, qua tentorio vel tubae fimbriis ovum adhaereat; hanc vero maiore iure abdominalibus graviditatibus adnumerandam esse arbitror.

Omnium extrauterinarum secundum *Czihak* [3]) et *Drapier* [4]) graviditas tubarum fallopianarum frequentissime occurrit. Ille enim centum hic centum et viginti quinque exempla ab auctoribus omni fide dignis relata collegit; tubam vero sinistram graviditate saepius laborantem invenerunt, ita ut huius extrauterinae graviditatis exempla proportione = 3 : 1 versentur. Graviditatis tubo-uterinae sex tantum exempla innotuere. —

Quodsi praeterea reputamus, quam difficile adhuc sit, hunc morbum diiudicare, eumque saepius in cadavere demum forte fortuito repertum esse, non dubitabimus, quin magnus ei mulierum numerus succubuerit, de quibus non compertum est.

Aetiologia.

Omnia ea, quae ovuli per tubam in uterum transitui obstare possunt, causam graviditatis tubariae afferant, necesse est. Impedimenta vero vel mechanica vel dynamica esse possunt. Ad illa referenda vitia conformationis morbosaeque

---

1) Carus Lehrbuch der Gynaekologie. Th. II. S. 466.

2) Bianchi hist. de naturali in corp. hum. vitios. morbosaque gener. Genev. 1741. p. 177.

3) Czihak de gravid. extraut. Heidelberg 1824.

4) Drapier comment. physiol. med. obst. de gravid. extraut. Leodii 1831.

tubarum affectiones ex. gr. obliteratio canalis, concretio cum partibus vicinis, qua motus peristalticus ad ovi transmissionem necessarius impeditur, et multae aliae tubarum destructiones, quas prioribus huius dissertationis plagellis frequentissime et quidem aeque ac graviditatem saepius in sinistra quam dextra tuba occurrere, demonstravi. Tales etiam huius organi affectiones in sectionibus mulierum graviditate tubaria mortuarum plerumque inveniuntur. Praeterea constat, morbum hunc in iis praecipue feminis obviam venire, quae iam plures et graves partus ediderunt; quamobrem monet cl. *Mayer*, post difficiles partus, quos inflammatio uteri, tubarum, ovariorum sequatur, vel in universum post inflammationem harum partium, si conceptioni antecedat, dispositionem ad graviditatem extrauterinam adesse. [1])

Neque vero rari sunt casus, quibus nullus omnino organicus tubarum morbus innotuit, qui ansam graviditatis praebere potuerit; veluti in observationibus *a Stoll* [2]), *Clarque* [3]), *Guentz* [4]) aliisque relatis. Hinc igitur consequitur, saepius etiam ab irregulari tubarum functione earum graviditatem pendere posse. De qua re multae magis minusve probabiles coniecturae a viris illis doctissimis, qui huic rei operam navarunt, factae sunt. Prae caeteris inprimis anxietatem, terrorem aliaque violentiora animi pathemata, vel ipso coitus momento vel saltem paulo post excitata, ad causas merito

---

1) Mayer Beschreibung einer gravid. interst. uteri. Bonn 1825.

2) Stoll. diss. illustrans grav. tub. casum. Tubing. 1819.

3) Harless neues Journal der ausländ. med. chir. Litt. 8. Bd. 1. St. Geschichte einer Schwangerschaft der fallop. Trompete mit Bemerkungen des Dr. Clarque.

4) Guentz de concept. tub. duabus obs. Lipsiae nuper factis illustr. Lips. 1831.

referunt, quae, quum vim vitalem tubarum ad summum fastigium concitatum subito debilitent atque deleant, quominus ovulum in uterum penetret, impediant. Itaque etiam graviditates extrauterinas in viduis et iuvenculis frequentiores observari opinantur ob timorem et terrorem, quibus hae mulieres in illicito coitu afficiantur, quae quidem opinio nonnullis observationibus confirmari videtur. *Joergius* [5]) spermate contra normam tubam ingresso ovum, ut radices agat, cogi contendit. *Bianchi* [6]) denique et *Josephi* [7]) excessum in coitu inprimis paulo post puerperium merito mihi accusare videntur; status enim erethicus partium genitalium, qui semper cum coitu coniunctus est, hoc saepius repetito, praesertim ovulo iam in tubam ingresso, facile in inflammationem excedere potest, unde exhalatio lymphae plasticae et adglutinatio ovi exoriatur necesse est.

Symptomatologia.

Multi quidem viri doctissimi, peritissimi, nostris etiam temporibus huic morbo operam navarunt, sed plurimi physiologiae modo et anatomiae pathologicae inde utilitatem parare studuerunt, quum de diagnosi verba facienda essent, hanc tam adhuc ambiguam esse confitentes, ut bene symptomatum explicationem ommittere liceat. Cl. *Heimius* [1]) qui-

---

5) Joerg Handbuch der Krankheiten des Weibes. 1821. p. 577.

6) L. c. p. 76.

7) Josephi über die Schwangerschaft ausserhalb der Gebärmutter. Rostock 1803.

1) Dr. E. Lud. Heim's vermischte Schriften von Dr. A. Paetsch. Leipz 1836. S. 363. Erfahrungen über die Schwangerschaften ausserhalb der Gebärmutter.

dem accurata et optima signa indicavit, ex quibus ipse morbum semper cognosci posse putavit, at quum suis solis observationibus nisus sit, fieri non potuit, quin ea partim non sufficiant, partim etiam magis minusve falsa sint inventa. Alii, ut *Josephi*, *Bianchi*, *Gotthardt* [2]), al. magnum symptomatum numerum enarrant, sicut omnia alia hic alia illic quondam in hoc morbo observata sunt; quum vero decursus graviditatis tubariae tam varius sit, ideoque signa saepe plane aliena animadvertantur, talis enarratio symptomatum tantum abest, ut veram morbi diagnosin adducat, ut nullam omnino fieri posse confiteri cogat. Mihi quidem optimum visum est, ex quam plurimis, quibus uti licuit, observationibus certos huic morbo decursus destinare; eosque secutus illum quam accuratissime describere studui.

I. Foetus atque mater eodem tempore protinus pereunt.

Primis septimanis graviditas tubaria iisdem symptomatis, quibus normalis, utitur; menses enim cessant, mammae intumescere incipiunt, nec desunt caeterae affectiones consensuales, vomitus, nausea, totius corporis lassitudo, capitis congestiones etc. Tertia vero hebdomade aut iam prius tensionis sensus et pressionis in regione inguinali incipit, simulque dolor vehemens moliminum instar in fundo pelvis, saepius durante graviditate intervallis mox longioribus mox brevioribus recurrens, plerumque cum urinae et alvi retentione coniunctus, se manifestat [3]). Iam femina modo in latere af-

---

2) Gotthardt de gravidit. extraut. Berol. 1829.

3) Exstant quidem perpauci casus, ubi hic dolor defuit, feminae omnino nulla de re questae sunt usque ad mortem. Tales af-

fecto sine molestia decumbere potest; interdum etiam oedema pedis huius lateris et quasi paralysis eiusdem conspicitur. Pro mensibus apparet ex utero profluvium mucoso-sanguinolentum, saepius incertis temporibus rediens, interdum cum frustulis membranaceis admixtis. Portio vaginalis plerumque aliquid ad latus contrarium spectat, caeterum adhuc easdem subit mutationes acsi uterus ipse gravidus sit; inter dolores saepe os uteri paullulum apertum et segmentum inferius tensum reperitur. — Ad finem mensis secundi subito vel absque praegressa causa externa vel post conatum aut lapsum dolores vehementissimi, quasi ad partum; iam mulier frustra eos, ut antea pluries, cessuros sperat, clamat alta voce, queritur de magno vesicae urinariae et intestini recti tenesmo, neque vero vel illa vel hoc quidquam reddere potest; dolores semper acerbiores, nullo remedio mitigari possunt, pulsus vacuus, parvus, donec lipothymia plerumque et convulsionibus supervenientibus mors vitae finem facit. Variat tempus, quo apparentibus his doloribus, mors consequitur; plerumque inter 12—16 horas, raro serius, interdum prius.

Heimius, qui sedecies hanc graviditatis extrauterinae speciem observavit, contendit dolores illos et intermittentes, simulac cum aliqua vehementia apparere incipiant, et qui morti proxime antecedant, semper mutare naturales vultus, et physiognomiae singularem dare impressionem; praeterea sonum eiulationis et gemitus inter eos tam peculiarem et proprium esse, ut pluries his tantum duobus signis cognitionem fere momentaneam conditionis debuerit, neque quemquam, qui hunc sonum semel modo audierit, et vultus mulierum infelicium semel modo adspexerit, in errore versari posse, si

---

ferunt: Schmittius Beobachtungen der K. K. med. chirurg. Josephsacademie zu Wien. — Carus Lehrbuch der Gynaekologie. Leipzig 1820. Bd II. S. 470. Guentz l. c.

iterum ei casus eiusmodi obveniat [4]). In aliorum observationibus haec duo signa non commemorata invenio, sed hoc non, quia revera defuerint, sed potius inde factum esse puto, quod illi, haud ea accurate observandi facultate praediti, qua *Heimius* inprimis praecelluit, aut nescii, quanti sit momenti in hoc etiam nunc tam in tenebris versante morbo quodlibet signum referre, ea vel omnino non animadverterint, vel memoratu haud digna esse putaverint.

In longe plurimis casibus graviditas tubaria modo supra descripto terminatur, imo *Heimius* foetum vivum haud ultra secundum mensem in tuba remorari posse contendit, cuius membranae talem extensionem non patiantur. At observationibus haud ita paucis, omni fide dignis, foetum per sex saltem menses in tuba crescere posse, satis probatur [5]); quamquam exempla foetuum maturorum, in tuba inventorum, merito adhuc in dubium vocantur [6]).

Post secundum igitur graviditatis mensem et etiam prius exploratione per vaginam et intestinum rectum bene instituta tuba gravida iuxta uterum sine dubio detegi poterit, etsi hoc rarissime commemoratum invenio. Quarto vèro mense praeterlapso tumor abdominis in uno praesertim latere apparet,

---

4) L. c. p. 384.

5) Tales communicant. Guentz l. c. — Santorini observat. anatom. Lugd. Batav. 1739. — Fritze de concept. tub. cum. epicrisi Argent. 1799. — Marcolini, Neues Journal der ausländ. medic. chirurg. Litteratur von Harless und Ritter 3. Bd. 2. St.

6) Abrah. Cypriani epistola, historiam exhibens foetus humani post XXI menses ex uteri tuba excisi. Lugd. Bat. 1700. — Saxtorph, Acta nova reg. societ. med. Hafniens. vol. V. N. 1. — Galli Commentar. Bononiens. Tom. II. p. III. de nonimestri foetu extra uterum aucto et mortuo per abdomen vivae matris extracto.

inaequalis vero, mobilis atque admodum sensibilis. Etiam motus infantiles ad finem quinti mensis plerumque percipi possunt; mammae magis se evolvunt, interdum verum lac secernunt; partes infantiles, quippe quae haud ab utero circumdatae sint, melius sentiuntur; portio vaginalis haud aliter, quam in secundo uteri graviditatis mense esse solet. Caeterum dolores illi intermittentes plerumque non desiderantur; et mors eodem modo sequitur, quo supra retuli.

Sectio cadaveris: Cavum abdominis magna sanguinis fluidi et coagulati copia impletum, nulla recentis inflammationis signa; tuba altera tumefacta et aliquo loco rupta foramine a liniis aliquot ad plures pollices differente; foetus magnitudine et forma tempori graviditatis respondens cum annexis suis vel adhuc in canali tubae vel, ut plerumque fit, per rupturam delapsus in sanguine effuso. Tubae membranae quo longius graviditas duravit, eo crassiores, vasorum pleniores, interdum cum partibus vicinis, inprimis ovario coalitae; canalis tubae ab utero usque ad ovum tum apertus tum clausus. Uterus excepta cavitatis eius amplificatione, si mors ante finem secundi mensis intrat, easdem fere mutationis offert, quae si in utero ipso graviditas locum habet, conspiciuntur; sin vero graviditas longius est progressa, neque pro forma sua neque pro portionis vaginalis statu a graviditatis periodo affectus conspicitur; situs eius magis minusve obliquus; in cavitate tunica decidua *Hunteri* vel saltem residua eius semper inveniuntur.

II. Mater foetui superstes.

a) Verisimillimum est, ovulum in tubam ingressum, atque causa quadam, quominus in uterum progrediatur, impeditum primis post conceptionem diebus vel etiam hebdomadibus in-

opia nutritionis emori atque resorberi posse, nullo inde feminae damno exoriente, nisi forte coalitiones et aliae structurae tubarum mutationes, quas frequentissime praesertim in feminis nuptis et meretricibus inveniri supra retuli, inde saepius originem ducant.

b) Morbus per brevius longius tempus iisdem symptomatis, quae supra communicavi, decurrit, at mors illa repentina ex tuba rupta non sequitur, contra sensim ex dolore non cessante, febri, urina, aliisque signis pro organo magis affecto diversis, inflammationem in abdomine exortam esse elucet, quae decursu admodum diuturno utitur, donec interdum demum post annos aliquot per abscessum in aliquo abdominis regione, aut per vaginam, vesicam urinariam vel intestinum rectum cum multa sanie ossa infantilia ad lucem prodeunt. Menses interea plerumque non redeunt, quin etiam in mammis interdum parva lactis secretio perdurat. Mater si validis gaudet viribus, artisque auxilio adiuvatur, vitam sustentare potest, dum via illa abnormi sensim omnes foetus partes eiiciuntur; quem faustum exitum inprimis exspectare licet, ubi abscessus per abdominis parietes aperitur. Maximam vero partem mulieres infelices, saepe abscessu extrorsum nondum formato, febri hectica aut putrida pereunt.

Inveniuntur in abdomine residua foetus, partes prope iacentes, tuba, ovarium, intestina, coalitae et suppuratione magis minusve destructae, ita ut singulas dignoscere plerumque non possis. — Multi quidem huiusmodi casus ab auctoribus referuntur, sed perpauci inveniuntur, in quibus sectio probaverit, veram praegressam esse graviditatem tubariam [7]).

---

7) Clarque transact. a society for the inprovement of med. and chir. Knowledge vol. II. Lond. 1818. — Myddletonius diar. Hamb. tom. I. p. 599. — Christ de concept. tub. Marburg. 1802. — Rougna revue médicale française et étrangère. 1823.

c) Postquam foetus in tuba per longius brevius tempus se evolvit, symptomata illa, quae hanc conditionem comitari solent, sensim magis magisque evanescunt. Profluvio sanguinolento-mucoso e vagina cessante menses ad regulam plerumque redeunt; mammae rursus collabuntur; tumor in altero abdominis latere si iam apparuit, paululum quidem diminuitur, sed semper admodum durus exploratione praesertim interna sentiri poterit; dolor in fundo pelvis plerumque per totam vitam multo quidem rarius minusque vehementer sese manifestat, hystericas saepe et haemorrhoidales affectiones, ut monet *Heimius*, simulans, interdum etiam serius ocius plane cedit, neque ulla omnino molestia restat, nisi gravedinis sensus atque tensionis ex illo tumore et alvi saepius obstructio; feminae adeo rursus normales edere possunt partus.

Morte deinde alia quadam ex causa secuta, in tuba foetus corrugatus, exsiccatus, crusta ossea perdura circumdatus apparet. Talis vero mutatio foetus in lithopaedion vel osteopaedion, ut appellant, in aliis quidem graviditatis extrauterinae speciebus satis frequenter, in tubae graviditate rarissime occurrit. *Held* casum huiusmodi communicat praeter alios, quos refert, minus fidem habentes, memoratu dignissimum de femina, quae lithopaedion quadraginta sex annos in tuba sinistra secum portavit, et intra hoc tempus duos adhuc infantes, filium et filiam, peperit [8]).

d) Restat ut moneam saltem *Laugieri* [9]) et *Fielitzii* [10]) observationem, secundum quam orificio uteri ac tubae dilatato embryo via naturali natus sit; alter quidem annon utero diviso in errorem inductus fuerit, incertum se esse non negat.

---

8) Godofredus Held diss. epist. de tempore partus occasione partus tuberii per 46 annos gestati. Baruthi.

9) Journal de médécine par M. A. Roux. Janvier 1774.

10) Richter's chir. Biblioth. S. 782.

Diagnosis.

Commutari potest graviditas tubaria cum graviditate uterina. Primis hebdomadibus nullomodo distingui possunt, postea vero haud difficilis est diagnosis. Etsi enim hic iltic de casibus sermo est, in quibus usque ad mortem nihil omnino per totum decursum acciderit, quod graviditatem extra uterum locum habere, suspicionem movere potuerit, in iis subiectiva quaedam symptomata modo defuere, quare aegrota, medicum arcessere, coactam se non vidit. Obvenit enim, ut supra retuli, quamvis rarissime, ut dolores illi intermittentes et profluvium sanguinolento-mucosum e vagina, quae ex quarte plerumque hebdomade se manifestare solent, vel plane desiderentur, vel levi tantum gradu appareant, neque femina alteri lateri maiore cum molestia incumbat quam alteri, sed semper alia adsunt symptomata inprimis obiectiva, quibus si uti licet, diagnosis a graviditate uterina extra dubitationem ponitur. Sunt vero ea: 1) orificium uteri externum et portio vaginalis post secundum certe mensem nullam amplius subit mutationem. 2) Uterum, si explores specillo obtuso, vacuum invenies. 3) Exploratione interna iuxta uterum parvum tumor vel adeo partes infantiles distinguuntur. 4) exitus plane alienus.

Difficilius sed etiam minori momentu est diagnosis variarum graviditatis extrauterinae specierum. Memoratu vero digna sunt haecce: Effluvium rutilum e vagina saepius desideratur in graviditate oarica et abdominali, uterus quoque in his minus mutatur; tumor abdominis initio rotundior ab utero remotior. Secundum *Heimium* dolores contrahentes illisque ad partum similes quo citius intra primos duos menses apparent, eo magis graviditatis tubariae, quo serius hoc tempore praeterlapso eo magis graviditatis oaricae et abdominalis suspicionem movent. Dolores quoque in graviditate

abdominali haud tam atroces sunt, quales in oarica et tubaria esse solent, longius vero durant, si apparent, neque iis tam lucida sunt intervalla; praeterea magis in integumentis externis et toto abdominis ambitu sentiuntur, ita ut hic tactum, quin saepe vestimentorum pressum vix perferre possit [1]. *Josephi* adhuc monet, in graviditate abdominali infantis motus liberiores atque latiores esse, neque artus ipsius, sicuti in graviditate tubaria et oarica spatio arctiori inclusos tactu deprehendi [2]. Denique exitus respiciendus; quum enim graviditas tubaria primis adhuc mensibus repentina matris atque foetus morte terminari soleat, hoc in abdominali graviditate nunquam accidit, et infans iustam plerumque maturitatem assequitur.

Commutatio cum inflammatione, hydrope aliisque morbis organorum in pelvi sitorum, ovarii inprimis et tubae ipsius, etiam priusquam signa graviditatis, quae dicuntur certa, se manifestaverint, haud facile fieri poterit, si omnia, quae supra communicavi, symptomata, inprimis mutatio etsi parva portionis vaginalis uteri, menses cessantes, profluvium e vagina turbidum et peculiares illi dolores respiciuntur.

---

1) Heim l. c. p. 407.
2) Josephi l. c. p. 73.

abdominali haud tam altaeres sunt, quales in ovarica et tubaria esse solent. longius vero durant, si apparent, neque iis tam brevia sunt intervalla; praeterea magis in integumentis exteriores et tota abdominis ambitu sentiuntur, ita ut fere tactum, quasi superveniente pressione vix perferre possit [1]. Joseph adhuc monet, in gravitate abdominali inflatis modo illaesioneis atque laterales esse, neque ortus ipsius, sicuti in gravitate tubaria et ovarica spatio uterori mulieris lacti deperditi [2]. Denique exitus respirationis, quum enim gravitas tubaria primis adhuc mensibus reperitur, matris atque foetus morte terminari solent, hoc in abdominali gravitate numquam accidit, et infans insuper plerumque nutritatem assequitur.

Comitatio cum inflammatione, hydrope ascite morbis organorum in pelvi siitorum, ovarii inprimis et tubae ipsius, etiam primaeum signa gravitatis, quae diuturnae esse, se manifestare et haud facile fieri potest, si omnia, quae supra commemoravi, symptomata, inprimis mutatio vasi pulsus pulsionis vaginalis alteri, menses cessantes, praeterea e vagina turbidum et pecularis illi dolores respiratur.

[1] Blatt l. c. p. 40.

[2] Joseph l. c. p. 23.

VITA.

Natus sum ego *Antonius Willems,* Adendorpiensis, anno MDCCCXV. Patre *Joanne Petro Willems*, quem morte nuper ereptum lugeo, et matre *Sophia,* e gente *Wachendorf.* Fidei catholicae addictus sum. Primis litterarum elementis imbutus gymnasium Bonnense per sex annos et dimidium, et quod Monasterii ad Eifliam est, per annum unum et dimidium frequentavi. Hinc testimonio maturitatis instructus autumno anni MDCCCXXXIV. almam petii Universitatem Fridericiam Guilelmiam Rhenanam, ibique a Rectore Magnifico beato *Naeke* in civium academicorum numerum receptus, apud cl. *E. Bischoff,* t. t. gratiosi medicorum ordinis Decanum Spectatissimum, nomen professus sum.

Quibus per quinque annos lectionibus interfui, hae sunt:

I. *Philosophicae:*

Logica et Psychologia apud cl. *van Calker;* physica experimentalis apud beat. *a Münchow;* botanice apud cl. *Treviranum* et beat. *Nees ab Esenbeck*; mineralogia apud cl. *Noeggerath;* zoologia apud cl. *Goldfuss;* chemia experimentalis apud cl. *G. Bischof.*

II. *Medicae:*

Anatomia generalis et specialis apud cl. *Mayer* et cl. *Weber*, qui quoque in cadaveribus secandis duces mihi fuere; physiologia apud beat. *Windischmann;* encyclopaedia et metho-

dologia artis medicae, pathologia generalis et semiotice, pathologia et therapia morborum acutorum et chronicorum apud cl. *Naumann;* semiotice specialis apud cl. *Albers;* historia medicinae et toxicologia apud cl. *Harless;* materia medica, ars formulas medicas concinnandi, medicina forensis et epizootiae apud cl. *E. Bischoff;* therapia generalis et specialis, anthropologia, de insania curanda, de educando medico, disputationes de casibus clinicis, de experientia et experimentis instituendis apud cl. *Nasse;* chirurgia, doctrina operationum chirurgicarum, morbi oculorum, anatomia chirurgica, ars fascias applicandi, selecta clinices chirurgicae capita apud cl. *Wutzer;* doctrina artis obstetriciae, de instrumentis obstetriciis, de morbis infantum, de luxationibus et ossibus fractis apud cl. *Kilian;* repetitorium anatomiae apud cl. *Weber.*

In exercitationibus practicis mihi duces fuere: in clinico propaedeutico et therapeutico cl. *Nasse;* in clinico chirurgico et ophthalmiatrico cl. *Wutzer*, quo duce ipse operationes in cadavere perfeci; in clinico obstetricio cl. *Kilian*, qui etiam in exercitationibus in phantomate instituendis mihi moderator fuit.

Per anni spatium in septima Ulanorum cohorte duce cl. *Kallmann* chirurgi voluntarii munere functus sum.

Quibus viris omnibus, optime de me meritis, gratias habeo semperque habebo quas possum maximas.

THESES.

1. *Vis musculorum pendet a nervis.*
2. *Bilis parum ad concoctionem.*
3. *Morbus Whyttii ex inflammatione.*
4. *Ulcera syphilitica ex adspectu solo dignosci non possunt.*
5. *Sectio bilateralis caeteris lithotomiae methodis praeferenda.*
6. *Obstetricantibus stethoscopus multum prodest.*
7. *Methodus activa in remansione placentae exspectanti praeferenda.*
8. *Versio obstetricia nunquam instituitur ad accelerandum partum.*

THESES.

1. Ars auscultandi pendet a aetate.
2. Bilis purpurea ad concretionem.
3. Morbus Wilgii ex influenzae.
4. Ulcera syphilitica ex adspectu solo dignosci non possunt.
5. Sectio bilateralis cateteris lithotomiae methodis praeferenda.
6. Obstetricantibus stethoscopus minime prodest.
7. Methodus octiva in retroversione placentae exspectatione praeferenda.
8. Iterato obstetricia manuum institutio ad accelerandum partum.